



**R.P. Leonardii Lessii E Societate Iesu Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censvris.  
Prælectiones Theologicæ Posthvmæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 1. Vtrum sanguis fuerit hypostaticè assumptus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

**Quæst. 5. De modo unionis quoad partes hum. nat. Art. 1. 2. Dub. 1. 49**

singulis individuis postulat singula suppedita. Tertio, Quia Christus non est primogenitus, nec primatum tenens inter homines; nam omnes essent pari dignitatis. Quartò, Quia tolleretur mediatio Christi, redemptio, latitatio, & reliqua eius beneficia.

qua producitur usque ad Adm. Luc. 3. Probatur Secundò, ex D. August. lib. 13. de Trin. c. 18.

Sunt autem tres conjecturae huius conuenientia. Prima, Quia iniuria postulat, ut ille satisficeret, qui peccauit: atqui peccauit Adam, & in

*Tres conuenientia.*

Adamo tota humana natura: ergo de illa natura ex Adamo deriuata, debebat ille affici, in quo,

& per quem, tota natura satisfaceret. Secunda,

Quia hoc pertinet ad maiorem hominis dignitatem: Ut nimur ille potius vincat, qui vicitus

fuerat, quam ut alius vincat pro ipso. Ita D. Leo

scm. 2. de natura. Tertia, Quia magis ostenditur

Dei potentia, dum de natura infirma & corrupta

assumpsit id quod ad tantam virtutem & gloriam

est proiectum. Possunt & aliæ multæ ex Patribus

colligi; sed haec sunt præcipuae.

**ARTICVLVS VI.**

*An conueniens fuerit ut Filius Dei assumeret naturam humanam ex stirpe Adam?*

**R**espondetur; Id omnino, fuisse conueniens,

Probatur Primò, Ex generatione Christi,

**QVÆSTIO QUINTA.**

**De modo Vnionis quoad partes Humanæ Naturæ.**

*In Quatuor Articulos diuisa.*

**ARTICVLVS I.**

*Vtrum Filius Dei debuerit assumerre verum Corpus?*

**R**espondetur; Filius Dei assumpsit verum corpus, non imaginarium. Est fide tenendum contra antiquos hereticos, qui dicebant Christum habuisse corpus non verum, sed phantasma corporis. Ita docuit Saturninus, Marcus, Cerdon, & Marcion, teste Tertulliano lib. de praescriptione aduersus hereticos, & libro de carne Christi. Ratio illorum erat, quia putabant indignum Deo, ut verum corpus humanum assumere. Item Manichæus teste Augustino lib. contra epistolam fundamenti cap. 9. & heresi 46. quia existimabat omnia vera corpora esse à malo principio. Idem secuti sunt Priscillianisti, ut refert D. Leo epist. 93.

Sed probatur haec veritas tribus rationibus. Prima, Quia Christus fuit verus homo: atqui veritas humanæ naturæ requirit verum corpus humanum. Secunda, Quia sequeretur cius passionem, & mortem, & resurrectionem, & reliqua, quæ circa ipsum gesta sunt, solum imaginariæ & delusoriæ contigisse. Tertia, Quia talis fictio, quæ tota est magica, non deceperit summam veritatem. Adeo, hanc veritatem definitam esse in Concilio Chalcedonensi, & in Constantiopolitanæ 2. & 3. & in magnâ Lateranensi Cap. Firmiter & alibi. Vide Tertullianum lib. de carne Christi contra Marcionem.

**ARTICVLVS II.**

*Vtrum Filius Dei debuerit assumerre Corpus terrenum, scilicet Carnem & Sanguinem?*

**R**espondetur affirmatiuè. Est fide tenendum contra Valentimum, qui dicebat Christum assumptum corpus ex natura cœlesti; & per utrum

Virginis, tamquam per canalem à quo nihil traxerit, transisse. Quem errorem secutus est Apelles, ut refert Tertull. suprà lib. de carne Christi, & de praescriptione aduersus hereticos. Item est contra quosdam Anabaptistas, qui hanc heresim instaurarunt, ut refert Cochleus in refutatione Anabaptistarum Monasteriensem.

Probatur ijsdem argumentis, quibus superior Articulus.

Obijciunt Apostolum prioris ad Corinth. 15. v. 47. vbi Christus comparatus Adamo, dicitur *Homo cœlestis, & esse de celo; Adam autem terrenus, & de terra: ergo Christus habebat corpus cœlestis.*

Respondeo, Hunc locum optimè exponi à D. August. lib. 13. de Civit. c. 23. Sensus igitur est; primus homo, cum formatus sit de terra, fuit terrenus; scilicet quoad conditionem corporis, quod subiectum fuit necessitatibus huius vitæ, & per se passibile, & corruptibile. Secundus autem homo, quia de celo venit, scilicet ratione personæ, etiam cœlestis esse debuit; nempe quoad conditionem corporis cœlestem, & immortalem: & quamus ab initio non statim actu corpus cœlestem fuit, hoc dispensatoriæ factum est, ut pro nobis posset pati, & mori: quo peracto, statim Christus vi sua cœlestè conditionem suo corpori conculit: unde semper cœlestè fuit, vel actu, vel intrinsecâ potestate; eo quod persona de celis esset. *Igitur si aut portauimus imaginem terreni, scilicet tum vitæ, tum corporis conditionem; ita portemus imaginem cœlestis;* id est, deas operam ut Christo similes efficiamur cœlesti corporis conditione.

**DVBIVM I.**

*Vtrum Sanguis fuerit hypostaticè assumptus?*

**V**bi notandum Primò, Dupliciter aliquid assumi ad hypostasin. Primo, Immediatè, Sicut anima & caro. Secundo, Mediatè, Sicut accidentia, mediante natura. Quidquid enim est naturæ coherens, fuit aliquo modo à Verbo assumptum, & sic dubitandum non est quin sanguinem assumperit: nam corpus eius vero sanguine suffusum fuit.

**E**cce **Notandum**

50 Quæst. 5. De modo vniōnis quoad partes hum. nat. Art. 2. Dub. 1.

Notandum Secundò, Certum esse Verbum assumptum, omnes eas humani corporis partes, quæ anima rationali informantur; & consequenter omnes eas, quæ sunt necessariae ut corpus humanum sit integrum.

Ratio est, Primo, Quia Verbum factum est perfectus & integer homo: ad integratam autem hominis pertinet ut minimum omnes illæ partes, quæ anima informantur: ergo has omnes assumptis. Secundo, Quia anima, quacumque in parte sit, subsistit subsistentia Verbi: ergo etiam quævis pars corporis, quam ipsa vivificat, eadem subsistit. Nulla enim est ratio talem partem negligendi. Tertiò, Quia in alijs hominibus omnes illæ partes quæ anima informantur, subsistunt subsistentia totius hominis: Atqui in Christo huius vi- cem subiicit Verbum: ergo &c.

His positis, sunt tres sententiae. Prima, Nec sanguinem, nec alios humores esse vnitos hypothaticè Verbo: sed habere propriam subsistentiam, sicut aqua in vase. Dici tamen assumptos mediate eo quod naturaliter coherant corpori assumpto. Ita sentit Durandus in 4. dist. 1. q. 1. & Richardus in 3. dist. 2. art. 2. qu. 1. & 2. & Gabriel in Canonice lectione 53.

Secunda est, Duplicem esse sanguinem, naturalem, & alimentalem: naturalem seu vitalem esse assumptum, eò quod pertineat ad integratam humani corporis alimentationem verò minimè ob rationem contraria. Ita docet Silvester in libro quem inscripsit Rosæ aurea tract. 3. q. 31. & in eadem inclinat Cajetanus infra quæst. 54. art. 2. quamvis hic nobiscum videatur sentire.

Tertia sententia est communis. Pro qua dicendum sanguinem absolute, & sine distinctione, fuisse immediate à Verbo assumptum, & illi hypotheticè vnitum. Quæ sententia ita habetur certa hoc tempore, ut contraria condemnetur erroris. Infinuat eam D. Thomas hisc; & Quodl. 5. art. 5. eam expresse tenet, eiusque omnes sectatores, Capreolus, Cajetanus, Sotus, Victoria, Medina & alij. Qua de re quidam recentiores tractatus scripserunt.

Probatur Primo, Ex Scripturis, quæ docent sanguinem Christi, esse pretium nostræ redemptionis, & quidem magnum. 1. Petri 1. v. 18. Non corruptibilis anno vel argento redempti es; sed prete sanguine, quasi Agni immaculati, Christi. 1. ad Corinth. 6. v. 20. Empti es prete magno. Similia habemus Matth. 26. v. 28. Marc. 14. v. 24. Lucas 22. v. 20. Secundò, Christus per sanguinem dicitur propitiator, pacificator, redemptor. Ad Rom. 3. v. 24. ad Ephes. 1. v. 7. & c. 2. v. 13. ad Clos. 1. v. 20. Tertiò, In Scripturis dicitur quod sanguis Christi lauet & emundet concientias nostras a peccatis: ad Hebr. 9. v. 14. c. 10. v. 20. & v. 29. c. 12. v. 24. & c. 13. v. 12. & v. 20. & 1. Ioan. 1. v. 7. Quartò, Dicitur sanguis noui & æterni Testamenti, quia per eum firmantur diuinae promissiones pertinentes ad remissionem peccatorum, iustificationem, & vitam æternam: atqui haec efficacia non potest conuenire sanguini, nisi ratione vniōnis cum Verbo.

Dices; Ut haec dignitates & efficientie tribuantur sanguini, sufficit ut is qui eum effudit, sit infinitæ dignitatis: nam illa effusio, quatenus erat voluntaria actio, vel passio persona infinitæ, erat infinitæ efficacitatis, & estimationis. Sed hoc

non satisfacit, quia sic sanguis non esset aliter pretium nostræ redemptionis, quæ lachrymæ & sudor Domini nostri; nam horum effusio etiam est infiniti pretij ratione personæ: atqui Scriptura tribuit aliquid maius & specialius sanguini, vocans illum *Lauacrum peccatorum*, *Pretium redemptoris* &c. quæ sane propriè intelligi possunt; eritque excellentior modus redemptionis, si ipsum pretium secundum se, sit infinita dignitas.

Probatur Secundò: Ratione fundata in Scripturis. Primo, Quia in sacrificijs legis veteris <sup>Refellitur.</sup> oblatio sanguinis erat præcipua pars sacrificij, cuius signum est, quod in omni genere sacrificiorum, Deus volebat sibi totum sanguinem offerri; ut patet Leviti. 17. vetans sub intermissione mortis eum sanguinis; cum tamen in oblatione hostie pacifice, & eius quæ fiebat pro peccato, permetteret bonam partem carnium Sacerdoti, vel offerenti. Atqui Christus in passione obtulit non solum corpus, sed etiam sanguinem: ergo sanguis non minus erat infiniti pretij, quam corpus; ac proinde non minus hypothaticè vnitus Verbo. Patet prior Consequentia, quia Christi sacrificium erat infinitæ dignitatis ratione rei oblatæ; res autem oblatæ erat corpus & sanguis: & in oblatione sacrificij, oblatio sanguinis non minoris estimatur, quam oblatio carnis: ergo non erat minoris dignitatis. Confirmatur, Quia Christus Matth. 26. & Lucas 22. sicut de corpore dicit; *Quod pro vobis tradetur*, ita de sanguine: *qui pro vobis effundetur*. Secundò, Ioann. 6. <sup>Eius potestio est ne.</sup> Dominus, sicut carnem vocat verum cibum amarum, ita & sanguinem verum potum: atqui caro non vivificat, nisi ratione diuinitatis coniuncta, vt satis insinuat illa verba vers. 63: *Spiritus est qui vivificant, caro non prodest quidquam, id est, caro secundum se, non prodest quidquam ad aeternam vitam, quamvis manducetur; sed prodest propter spiritum, id est, propter diuinitatem illi vnitam: ergo nec sanguis Christi sumptus quidquam proderit, si diuinitas ei coniuncta non sit.*

Probatur Tertiò: Auctoritate Ecclesiæ. Concilium Alexandrinum coactum à Cyriolo ex Episcopis Ægypti ante Concilium Ephesinum, in epistola Synodica expressè dicit: *Verbum homo factum est in assumptione carnis & sanguinis*. Quod est consentaneum ei quod habet Apostolus ad Hebr. 2. vers. 14. *Quia pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit ipsisdem*. Clemens VI. in Extraag. *Vnigenitus, tit. de p-* <sup>Clemens</sup> *nitentia & remissione*, dicit guttam sanguinis mo- <sup>mo. VI.</sup> dicam fuisse sufficientem, ad totius humani generis redemtionem propter vniōne ad Verbum. Silvester in *Rosæ aurea* tract. 3. quæst. 31. refert Clementem V. I. hanc nostram assertiōnem expensis verbis definitius. Refert etiam eundem Pontificem coegerisse quendam Concio- natorē, qui apud Barcinonam prædicauerat sanguinem Christi in triduo mortis non fuisse hypothaticè vnitum, vt suam sententiam reuocaret tamquam hæreticam. Et Pium II. confir- masce eandem veritatem, cum rursus de ea quæstio esset exorta. Quia si vera sunt, mirum est Abulensem, qui contrarium tenuit Paradoxo 2. cap. 39. & 40. hæc ignorasse, cum tamen post Cle- mentem VI. in Hispania vixerit. Similiter igno- rasse Gabrielem, qui vixit tempore Pij II.

Probatus

Tres sen-  
tentiae.  
1. Negans,  
Durandi.

2. Difini-  
guens; cil-  
nestri.

6  
3. Prior  
affirmans.

Ex Scri-  
pturis.  
Vbi sanguis  
est ostenditur  
esse infiniti  
pretij.

7  
Responso-  
rur sanguis  
diutius  
infinita  
prior.

Quæst. 5. De modo unionis quoad partes hum. nat. Art. 2. Dub. 1. 2. 51

10  
Rationes.

Sanguis  
sif pars  
corporis.

Tridens.

Aristoteles

II  
Quatuor  
Obiectio-  
nes,  
Prima,

Secunda,

Tertia,

Quarta.

12  
Medina  
putat san-  
guinem  
animam in-  
formari.

Silvester  
duplicem  
fauit  
sanguinem.

13  
Virumque  
et contra  
Philoso-  
phiam.

Probatur Quartò Ratione à priori; Quia sanguis per se necessarius est, ad constitutionem integræ corporis humani: ergo debuit immediate assumi. Antecedens docet D. Thomas infra q. 54. art. 2. & passim Doctores in 4. dist. 44. hinc colligentes etiam in corporibus glorioſis sanguinem futurum. Et confirmatur ex Concil. Trid. sess. 13. cap. 3. vbi sanguinem vocat partem Christi Domini, cùm ait, sanguinem esse sub specie panis ex ratione connexionis, qua partes Christi Domini non amplius morituri, inter se copulantur. Fauet etiam multis locis Aristoteles, sanguinem inter partes animalis numerans. Et Ratio est, quia sanguis requiritur in corpore humano non solum propter nutritiōnem, sed etiam alias causas. Primò, Ob firmatatem, & consistentiam corporis humani. Secundò, Ad fouendum calorem naturalem, & spiritus vitales & animales. Tertiò, Ad conseruandum debitum corporis temperamentum. Quartò, Ut sit veluti instrumentum multarū animæ functionum, earum præcipue quæ pertinent ad appetitū sensuum, scilicet amorem, luxitudinem, tristitiam, iram, audaciam &c: ergo per se necessarius est, vt homo sit integer & perfectus.

Contrà Obiectum Primò, Sanguis non informat animam rationali, sed est quiddam inanimū: ergo non debuit hypotheticè assumi. Pater consequentia, quia Verbum non assumptus corpus nisi mediante animam, vt docent communiter Theologici ex D. Augustino epistola 3. ad Volusianum: ergo illud in quo non fuit anima, non fuit assumptum. Secundò, Verbum non assumptus nisi vnam naturam: atqui sanguis habet suam naturam distinctam à natura carnis: ergo &c. Tertiò, In alijs hominibus subsistentia non terminat nisi eas corporis partes, quæ anima rationali informantur: alia autem habent suam propriam subsistentiam, vt sanguis, dentes, & similes: atqui Verbum successit in locum subsistentiae humanæ: ergo non assumptus nisi eas partes quæ per animam viuificantur. Quartò, Natura humana est propriè una: ergo illa dumtaxat sunt de eius integritate, quæ animam informantur, ac proinde hæc tantummodo assumpta fuere.

Ob hec argumenta, quidam existimant sanguinem verè animam informari, quæ illi det esse vegetabile, sicut ossibus quæ animam informantur eti non sentiant, quia anima non dat omnibus partibus eisdem functiones. Ita videtur hoc loco sentire Caetanus, & expressè Bartholomaeus Medina. Verum vt omittam hoc esse contra communem Theologorum sententiam in 4. dist. 44. est etiam contra communem sententiam Medicorum & Philosophorum, qui volunt quatuor humores non esse animatos. Alij vero, vt Silvester, distinguunt duplicem sanguinem: alium nutrimentale, quem natura preparat in hepate, vt ex eo corpus alatur; & hunc non informari animam, nec esse assumptum hypotheticè: alium vitalem, qui dignitur in corde; hunc animam informari, ac proinde hypotheticè esse assumptum. Fauet Caetanus infra quæst. 54. art. 2.

Sed hæc sententia nec Philosophiæ, nec Theologiæ satis est consentanea. Est contra Philosophiam. Primò, Quia sanguis nutrimentalis, & vitalis, non differunt specie; sed solum puritate, & subtilitate. Vnde si alter assumptus est, etiam alter. Secundò, Quia sanguis qui est in cor-

de, quem Silvester vitalem vocat, est etiam nutrimentum; alit enim cor, & ipsos pulmones per venam arteriale, vt docent medici. Item arteriæ eodem aluntur. Tertiò, Quia nullus est sanguis qui tantum habeat alendi munus: nam alijs etiam visiblē seruit.

Nec etiam Theologiæ est satis consentanea; Primo, Quia si sanguis nutrimentalis non est hypotheticè vnitus Verbo: ergo parum sanguinis in passione effusus, fuit Verbo vnitum; nam ante aperitionem lateris, parum fuit effusum ex arterijs, & corde. Secundò, Sequeretur ex vi verborum consecrationis calicis in cœna, parum sanguinis fuisse sub speciebus vini: vel certè si totus sanguis Domini ibi erat, Verbum non fuisse per concomitiam sub quāvis parte illius, quia non fuisse sub sanguine nutrimentali. Atqui utrumque est absurdum. Primum enim est contra virtutem verborum Christi, qui absolutè ait: *Hic est sanguis meus*, scilicet totus. Secundum etiam absurdum est, quia totus sanguis est verè potus viuificans; & inauditus est Verbum fuisse sub quibusdam sanguinis particulari, sub alijs minime.

Vnde Respondeo ad primum argumentum. Siue sanguis animatus sit, sive non; nihilominus nego illum non esse hypotheticè assumptum. Satis enim est, vt aliquo modo sit pars corporis humanæ, necessaria ad illius consistentiam, integritatē, & conseruationem, & operationem. Ad confirmationem consequentia, Respondeo; Corpus dicitur assumptum per animam, non quod Verbum ei tantummodo mediare vniatur; sed quia assumptum est, vt anima seruat: quomodo etiam sanguis assumptus est per animam, id est, propter animam; quia anima sanguine vtitur veluti instrumento. Ad secundum. Respondeo: Sanguis non est institutus vt sit aliqua natura seorsim, sed vt pars & instrumentum alterius: vnde caro & sanguis non sunt propriè duas naturæ, sed partes vnius integræ corporis humani; Sicut carnes, ossa, nerui &c. sunt partes vnius integræ corporis humani; quamvis fortassis diuersas formas substantiales habeant: nam illa forme imperfectæ sunt & veluti partiales ad constituentem integrum corpus humanum. Ad Tertium, Sicut natura sanguinis pertinet ad integratatem naturæ humanæ, ita etiā subsistentia sanguinis includitur in subsistentiâ naturæ humanæ; sic vt tota subsistentia naturam humanam terminans, etiam complectatur subsistentia sanguinis: Sicut complectitur subsistentiam ossis, carnis, nerui, cerebri, cordis, pulmonis. Ad Quartum, Negatur consequentia; quia vt aliquid sit physicè vnum, satis est vt omnes partes habeant inter se naturalem quandam connexionem, formaque imperfectas, quæ sint dispositio-nes ad formam perfectam; & constituant instrumen-ta forme principalis.

D V B I V M II.

*Vtrum reliqui humores, scilicet Flava Bilia,  
Attra Bilia, & Phlegma sint assumpti  
hypotheticè?*

R Espondeo; Id valde esse probabile. Tenent hoc Caetanus, Silvester, Dominicus Soto, Franciscus Victoria, Bartholomaeus Medina, Suarez, & passim alij recentiores.

E e i j Probatur

*Et contra  
Theolo-  
giam.*

14  
Responso  
ad quatuor  
obiectio-  
nes.  
Ad Pri-  
mam.

Ad Secun-  
dam.

Ad Ter-  
tiam.

Ad Quar-  
tam.